



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Cap. IV. Appendix de Cultu SS. & immaculati Cordis Mariæ Matris Dei Jesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

» est, ex amore profluxisse. Tum, amantissimus Do-
 » minus hæc adjecit: cupere se vehementer, ab homini-
 » bus redamari: seque hoc desiderio excitatum statuis-
 » se Cor suum illis manifestare, huncque thesaurum
 » amoris & misericordiæ, gratiarumque omnium ad sa-
 » lutem & perfectionem conducentium referare: eo fine
 » ut quotquot huic sacrosancto Cordi debitam reveren-
 » tiam & amorem adhibere vellent, infinitis quas com-
 » plectitur divitiis participes efficerentur. Affirmans præ-
 » terea, cultum illum peculiarem Cordi suo delatum si-
 » bi esse acceptissimum: ac propterea velle se, ut ima-
 » go Cordis sui expressa coloribus fidelium oculis palam
 » exponeretur: quo emolliri eorum durities specie tam
 » amabili posset. Pollicens insuper eos omnes qui ejusmo-
 » di imaginem præcipua veneratione colerent, donis cœ-
 » lestibus ex hujus diviniissimi Cordis plenitudine pro-
 » deuntibus, affatim cumulandos.

CAPUT IV.

*Appendix de cultu sanctissimi & immaculati Cordis
 MARIE Matris Dei JESU.*

Constituto semel in Ecclesia, afflante Spiritu
 Sancto, cultu ac festo Cordis Jesu; consequens
 erat ut, ejusdem Spiritus instinctu, constitueretur adhuc
 cultus & festum Cordis MARIE. Hæc porro conse-
 quentia quam justa sit, ac divinis consiliis consentanea,
 apparebit ex sequenti animadversione; qua capitis hu-
 jus

ius initium facere operæ pretium erit. Nulla certe Mariæ gloriosior, nulla servis illius jucundior ac gratior accidere potest. Scilicet, Christus Jesus immenso Matris amore ductus, eam sibi in rebus omnibus conjunctissimam ac simillimam esse voluit; & quantum licuit effecit, perpetua rerum suarum cum illa communicatione. Bona quippe omnia sibi propria, modo quodam mirabili, cum matre, omni tempore, omni loco, omni rerum statu ita divisit, ac partitus est; ut id omne quod ipse natura sua ac proprio jure possidet, illud idem Mater ipsa, filii gratia ac communicatione possideat; quantum naturæ creatæ fragilitas patitur. Prærogativas dico, qualitates, nomina, titulos, privilegia, virtutes, perfectiones, divitias, gloriam, potentiam, imperium, ac denique, quod hic peculiariter intendimus, honores omnes ab Ecclesia delatos. Rem hanc, hominum sane & Angelorum attentione & admiratione dignissimam, atque ad finem a nobis intentum, ut videbitur, accommodatam, paulo attentius perpendamus. Oculos itaque mentis, si placet, in Mariam convertamus: hancque ipsius cum filio indissolubilem conjunctionem, primo, ante sæcula condita inspiciamus. Nimirum in decretis divinæ Providentiæ: cujus primum ac præcipuum opus, Jesus ipse utique fuit, simul cum Virgine Matre. Hæc, ab æterno ante omnem creaturam, simul cum filio præcognita, præelecta, prædestinata. Hæc, cum filio causa finalis saltem secundaria productionis rerum omnium: nam omnia propter Filium & propter Matrem simul,
con-

condita esse, indicant cuncta illa Sapientiæ loca, quæ cum a Patribus, tum ab Ecclesia Mariæ constanter Eccli. 24. adaptantur. *Prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Proverb. 8. *ram. Dominus possedit me in initio viarum suarum... ab Aeterno ordinata sum... nondum erant Abyssi & ego jam concepta eram... quando preparabat coelos aderam.* (nimirum ut causa finalis.) *Cum eo eram cuncta componens. &c.*

Mirum sane accidere debet, quod ista divinæ Sapientiæ oracula, Verbum æternum proprie respicientia; Mariæ, ab ipsa veritatis magistra Ecclesia, palam ac publice accommodentur: præfertim quum ejusmodi publica accommodatio, non sine peculiari Spiritus sancti Ecclesiam assidue dirigentis inspiratione, facta fuisse credenda sit. Quid vero Spiritus sanctus, quid Ecclesia significare voluere, dum eisdem præcise coloribus ac lineamentis Matrem adumbrarunt, quibus Filius a divina sapientia in Scripturis effingitur: nisi hanc quam dicimus admirabilem Filii cum Matre conjunctionem, ac similitudinem in omnibus tum creationis operibus, tum redemptionis mysteriis: communem quodammodo utrique tribuentes potestatem, ac dominationem super omnes creaturas; communemque influxum gratiarum ad salutem & perfectionem conducentium?

Jam si eandem sanctissimam Virginem post rerum productionem considerare pergas, conjunctionem illam seu similitudinem cum Filio, ab ipso statim mundi exordio, ac deinceps in toto veteri testa-

men-

mento expressam perpetuo reperies: in promissionibus Patriarchis a Deo factis: in oraculis Prophetarum: in figuris ac symbolis antiquæ legis. In his enim pene omnibus Mariam invenies cum filio promissam, prænunciatam, figuratam.

Verum hæc conjunctio nusquam admirabilior apparuit, quam in lege nova: in ipsa videlicet rerum prædictarum ac promissarum executione. Hic velim consideres Verbi incarnati mysteria omnia, Incarnationis, Nativitatis, Infantia. &c. in omnibus ac singulis Matrem ita cum Filio junctam reperies, ut nihil esse conjunctius possit. In Incarnatione, Verbum divinum se in Matris visceribus menses novem ita condidit, ut rem unam & eandem, juxta humanum loquendi morem, cum illa quodammodo constituere visus sit. Infantiam totam inter brachia Matris transegit, virginæo sinu perpetuo fatus, affixusque sacris uberibus. Vitam privatam cum Matre 30. ipsos annos consumpsit, eodem tecto, eadem mensa, iisdem bonis, eadem fortuna utens: imo Matris imperio, filiorum more, subditus & obediens. Ecquæ major aut magis intima conjunctio esse, aut etiam fingi possit? Similem plane reperire est in aliis omnibus Christi seu prædicantis, seu patientis, seu resurgentis mysteriis. Etenim labores omnes suos, dolores, opprobria, gaudia, ita filius matri communicavit; ut omnia sibi cum illa esse communia, semper & ubique voluerit, & ostenderit.

Sed ad majora transeamus: hanc Mariæ cum Filio assimilationem contemplemur in virtutibus, perfe-

V

ctio-

tionibus, prærogativis, nominibus, titulis, qualitatibus, privilegiis, potestate, imperio, gloria, ac demum in honoribus ab Ecclesia utriusque delatis. Et primo quidem in virtutibus. Jesum itaque ex una parte considera, hominum omnium humillimum, mitissimum, patientissimum, obedientissimum, castissimum, innocentissimum, charitate ac misericordia plenissimum, denique sanctissimum: ex alia Mariam conspice Filio in eisdem virtutibus ita similem, ut ipsa quoque homines omnes humilitate, mansuetudine, patientia, obedientia, castitate, innocentia, charitate, misericordia, sanctitate, infinito quodam intervallo vincat ac superet.

2º. In titulis ac qualitatibus. Vide quam exacte respondeant Matris qualitates ac tituli, qualitatibus ac titulis Filii. Jesus Rex noster: Maria Regina nostra. Jesus Dominus noster: Maria Domina nostra. Jesus advocatus & mediator noster: Maria advocata ac mediatrix nostra. Jesus Pater noster: Maria Mater nostra. Jesus spes nostra, vita nostra, refugium nostrum, auxilium & solatium nostrum: Maria spes nostra, vita nostra, dulcedo nostra, refugium, solatium, & auxilium nostrum. &c.

3º. In prærogativis ac privilegiis. Jesus natura impeccabilis: Maria impeccabilis gratia. Jesus omni peccato tum originali tum actuali jure proprio immunis: Maria immunitate eadem singulari privilegio gaudens. Jesus author gratiæ: Maria Mater gratiæ. Jesus misericordiæ Pater: Maria misericordiæ Mater. Jesus virgo: Maria virgo. Jesus in sepulchro incorruptus:

ptus: Maria eadem post mortem prærogativa donata. Jesus a mortuis tertia die refurgens: Maria eodem dierum spatio ipsa quoque a mortuis rediviva. Jesus in cœlum corpore & anima ascendens: Maria eodem modo in cœlos assumta. Jesus ad dexteram Patris sedens: Maria ad dexteram Filii collocata. Jesu omnis potestas a Patre data: Mariæ omnis quoque a Filio potentia concessa. Pater gloriam omnem suam & imperium cum Filio divisit: Filius hanc ipsam gloriam & imperium Matri secum voluit esse communia.

4°. Denique in honoribus ab Ecclesia Jesu ac Mariæ delatis: quod ad rem hujusce capituli propriam proxime pertinet. Scilicet nullum est obsequii aut officii genus ab Ecclesia ad honorem Filii institutum, cui simile ad Matrem venerandam inductum non reperiatur. Orbem terrarum mentis oculis perlustra, & cum debita admiratione animique voluptate recognosce, nullam esse mundi partem, ubi Jesu nomen cognitum ac prædicatum sit; quin ibidem Mariæ nomen simul cum Filii nomine annunciatum quoque fuerit. Nullam esse gentem quæ Jesum Dei Filium agnoverit; quin Mariam indivisim Dei Matrem confessa, ac venerata sit. Templum nullum Jesu consecratum fuisse; in quo monumentum aliquod ad Mariæ gloriam constitutum non inveniatur. Neminem in Ecclesia extitisse, qui amore Jesu singulariter arserit; quin ardore simili erga Mariam incensus fuerit: quod omnium Sanctorum exempla declarant. Ut omnino dicere liceat, Jesum neque coli, neque amari voluisse

sine perpetuo Matris consortio. Cerne, ut Mariæ nomen in ore fidelium, a nomine Jesu inseparabile sit. Ut Matris præconia cum Filii laudibus quotidie in divinis officiis misceantur & confundantur. Ut mysteria omnia vitæ Christi, ab incarnatione incipiendo usque ad Ascensionem, totidem solemnitatibus ab Ecclesia celebrentur: & quomodo idem honor, cunctis mysteriis vitæ sanctissimæ Matris, a Conceptione ad Assumptionem, similiter deferatur. Nullam demum in Ecclesia exoriri novam festivitatem, nullum officium, aut exercitium ad honorem & cultum Filii; quin similis continuo festivitas, officium, aut exercitium ad honorem & cultum Matris excitetur, & inducatur: exemplo sint, festivitates Nominis Jesu: Nominis Mariæ. Gaudiorum Jesu: gaudiorum Mariæ. Excellentiarum Jesu: Excellentiarum Mariæ. Dolorum & Passionis Jesu: Dolorum & Passionis Mariæ. Quod in aliis similibus celebritatibus, & exercitiis, constanter & absque variatione in Ecclesia factitatum, attentus quisque lector reperiet. Ergo, ut tandem id quod intendimus, quodque initio hujusce capituli asseruimus, concludamus: semel instituto cultu ac festo Cordis Jesu, consequens erat juxta consuetam Spiritus sancti in Ecclesia gubernanda Providentiam, ut similis cultus seu festum ad honorem Cordis Mariæ institueretur.

Et vero ita factum esse gaudemus: jam enim suavissimus ille Cordis Mariæ cultus, totâ Europâ una cum cultu Cordis Jesu propagatus est. Imo ita rem Jesus disposuit, ut primum templorum omnium, in suimet

Cor-

Cordis honorem excitatum (quod fuit Constantiis castris in Normannia in seminario Episcopali) illud idem in honorem Cordis Mariæ simul dedicatum fit: atque uno eodemque momento, utriusque sanctissimo Cordi simul & indivisim honos adhiberi cœperit. Namque ibidem, in amborum honorem, festum solemnem pompa per octiduum celebratum est: constitutaque confraternitas sacris Cordibus assidue colendis destinata: quam Clemens X. Sum. Pont. brevi Indulgentiarum decoravit. an. 1674. die 4. Octob. Pontif. 5. Clemens IX. eundem favorem jam impertierat, anno 1668. 28. April. Abbatia regiae S. Cæsarii in civitate Arelatensi: in qua singulis annis, Cordis Mariæ festum solemnem ritu celebratur. Ex eo vero tempore, sanctissimus ac suavissimus cultus in aliis plurimis civitatibus, Provinciis, ac Regnis dilatatus est; in Gallia, Belgio, Germania, Polonia, Bohemia, Lituania. In Ecclesiis tum secularibus, tum regularibus virorum ac mulierum: ut patebit ex indice Brevium Indulgentiarum, variis confraternitatibus sub illo sacro nomine constitutis, a summis Pontificibus concessorum: quem sub finem secundæ partis exhibebimus. Demum hoc loco omittendum non est; ordinem S. Benedicti in Gallia, officium divinum ad honorem Cordis Mariæ proprium ac peculiare concinnasse, sub ritu 2. class. 8. Februarii recitandum: quemadmodum de Corde Jesu supra retulimus. Quod, ex additamento Breviarii hujus Ordinis proprii, Parisiis apud Petrum de Bats via Jacobea edito, certissime constat.

Jam si rationibus agendum sit, ad persuadendum quanta sit hujusce cultus erga Cor Mariæ soliditas, æquitas, suavitas, utilitas, sanctitas, non aliis certe utemur argumentis, quam illis ipsis quæ superius attulimus, quum de Corde Jesu disseruimus. Etenim ubi a Corde Jesu discesseris, quid demum reperies aut sanctius, aut dulcius, aut nobilius, aut sublimius, quam Cor Mariæ? Quod quum simillimum sit Cordi Jesu; quicquid de hujus excellentia dictum est, c. 1. l. 2. Cordi Mariæ accommodatum, ejus quoque excellentiam commendabunt. Sive enim hanc excellentiam metiri velis ex dignitate personæ: sive ex perfectione animæ, cui Cor conjunctum est: sive ex gratiis infusis: sive ex virtutibus, quarum sedes est atque origo: sive ex functione, ad quam factum destinatumque est, nimirum ut amore Jesu ineffabili, indefinenter ac in æternum arderet: sive demum ex gloria, quam suis affectionibus Deo creat: evidens est, nihil existere inter puras creaturas, seu in Cœlo, seu in terra, hoc virgineo corde perfectius, pretiosius, sanctius, excellentius, Deo & Jesu Christo gratius. His adde nihil esse nostri amantius, aut in nos beneficentius. Agitur enim de Corde Matris nostræ, Dominæ nostræ, Reginae nostræ, Advocatæ nostræ, Auxilii nostri, Refugii nostri, Consolationis nostræ. Agitur de Corde amore nostri gladio doloris transfixo, cunctosque Cordis Jesu dolores pro nostra salute susceptos, affatim participante. Hæc si quis attente consideraverit, ac luce divina perfusus perpenderit, sentiet profecto fatebiturque,

que, nihil esse veneratione, & amore nostro dignius, sanctissimo Corde Mariæ. O si venter qui Jesum portavit beatus est: Si beata ubera quæ lactaverunt, ac proinde veneratione dignissima: Quid amabo, dicendum de Corde, quod amavit?

Cogita nunc, si Pater æternus in cultu Cordis Filii sui, ut supra vidimus, tantopere sibi complacet: dubitari non posse, quin ei gratissimus etiam accidat cultus Cordis Mariæ: ob mutuam utriusque sanctissimi Cordis conformitatem. De Jesu vero, quis dubitet venerationem Cordi sanctissimæ ac dilectissimæ Matris adhibitam, ipsi debere esse gratissimam: quum in eo sacrosancto Corde amore sui ineffabiliter incenso, super omnia creata suavissime conquiescat?

Neque desunt ad hæc confirmanda, exempla Sanctorum; imo etiam divinæ revelationes. In operibus *Edit. Venet.*
 B. Mechtildis, de cujus eximia sanctitate supra dixi-^{1558.}
 mus, hæc habentur. lib. 1. c. 54. Post hæc datum est «
 ei salutare Cor Virginis gloriosæ, in his septem arti- «
 culis, in quibus nobis utilissimum fuit præ omnibus «
 cordibus, post Christum: & 1º. In desiderio quod præ «
 omnibus Patriarchis & Prophetis maxime habuit ad «
 Christi humanitatem. 2º. In amore, quia per amo- «
 rem ardentissimum & humillimum Mater Dei est ef- «
 fecta. 3º. In dulcissima pietate, qua tam affectuose «
 parvulum Jesum enutrivit. 4º. In studiosa conserva- «
 tione verborum Christi. 5º. In exemplo patientiæ «
 passionis Christi. 6º. In sedula oratione & desiderio «
 pro Ecclesia. 7º. Quod quotidie proficit in cælo apud «
 fan-

sanctissimam Trinitatem nostra desideria promovere.

In revelationibus S. Gertrudis hæc de Corde Mariæ leguntur. lib. 4. c. 3. Videbatur blandus ille ac floridus puellulus (Jesús) æterni Patris Filius unicus, Cor Matris Virginis cum summa voluptate fugere. Quo dabatur intelligi, quod sicut Christi humanitas virgineo lacte nutriebatur: ita ejus divinitas suavissime in hoc innocentissimo & amantissimo Corde conquiescebat, eoque frui delectabatur.

Eodem lib. 4. c. 12. hæc referuntur. Tempore Matutini dum cantaretur *Ave Maria* visum est illi (Gertrudi) tres quasi rivulos prorumpere, unum ex Patre æterno, alterum ex Filio, tertium ex Spiritu Sancto, qui Cor Virginis Matris penetrarunt: ex quo deinde egredientes, cum vehementi impetu, unde primo processerant, revertebantur. Quo influxu sanctissimæ Trinitatis in beatam Virginem significabatur, eam post Patrem esse potentissimam, post Filium sapientissimam, post Spiritum sanctum benignissimam.

Vidimus supra, venerabilem illam Matrem Mariam de Incarnatione, Dei donis, ac virtutibus eximiis ornatissimam, solitam esse, Cor Mariæ a Corde Jesu in suo cultu nunquam disjungere; sed utrumque simul, instinctu divino, venerari: utens apud Jesum Corde Mariæ, eadem ratione, qua Corde Jesu apud Patrem æternum uti consueverat. Fuit mos B. Hermani, Ordinis S. Dominici, singulis diebus Cor Mariæ salutare, ejusque in honorem salutat. Angelicam recitare. Denique Virgo illa Parodiensis, de qua toties mentio fa-

facta est, Cordis Jesu studiosissima, simili prorsus affectu Cor Mariæ complectebatur. Hinc haud dubie P. Claud. la Colombiere suum erga Cor Mariæ studium haufit: ut patet ex oratione, quam ad sacrosancta Corda Jesu & Mariæ, in exercitiorum suorum diario conscripsit.

Nos itaque his exemplis atque rationibus adducti, cultum sacrosancti Cordis Mariæ, a cultu divinissimi Cordis Jesu ne separemus; Cor utrumque sanctissimum æque ac suavissimum intimis præcordiis complectamur, veneremur, diligamus: utrique nos totos tradamus & consecremus. Adeamus ad Patrem æternum per Cor Jesu: ad Jesum vero ipsum per Cor Mariæ. Per Cor Jesu reddamus Deo Patri quæ infinitæ illius majestati, justitiæ, misericordiæ debemus. Per Cor Mariæ reddamus Filio, quæ infinitæ illius dignitati, clementiæ, beneficentiæ, benevolentiæ & amoris immenso debemus. Omnia a Patre æterno impetrabimus per Cor Jesu: a Jesu ipso per Cor Mariæ cuncta pariter consequemur.

CAPUT ULTIMUM

Exercitia ad cultum Cordium JESU & MARIÆ pertinentia.

QUOD in aliis omnibus pietatis officiis consuetum est, in hoc certe non omittendum: ut pias quasdam orationes, precationesque in honorem Cordium Jesu ac Mariæ adjungamus. Quan-
 X quam